
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto sobre colocación en situación de inactividad, de 13 de abril de 2002

Sobre cuestión prejudicial de litigio terminado
por extinción del objeto del recurso al revocar
el Dicasterio su decreto recurrido y dar otro en su lugar

Prot. N. 29828/99 CA

N

Remissionis in statu quiescentiae

(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

Praeliminaris

IN NOMINE DOMINI. AMEN

Ioannis Pauli PP. II anno Summi
Pontificatus XXIV, die 15 Decembris a.
2001.

SUPREMUM SIGNATURAE

APOSTOLICAE TRIBUNAL,

videntibus Em.mis ac Rev.mis Mario
Francisco Card. Pompedda, *Praefecto*,
Ioanne Petro Card. Schotte, Gilberto
Card. Agustoni, atque Exc.mis ac Rev.
mis D.nis Iosepho Mercieca, Iuliano
Herranz, Philippo Giannini, Eduardo
Davino, Henrico Mussinghoff, *Ponente*,
Francisco Coccopalmerio, Thoma
Georgio Doran, et Xaverio Echevarría
Rodríguez, hoc tulit

Cómo citar este artículo: *Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto sobre colocación en situación de inactividad, de 13 de abril de 2002*, Ius Canonicum 66 (2026) 303-311.
<https://doi.org/10.15581/016.131.008>

DECRETUM DEFINITIVUM

in causa N, Remissionis in statu quiescentiae, Prot. N. 29828/99 CA, inter *recurrentem* Rev.dum X, repraesentatum per Cl.mam Adv.tam Martham Wegan, et *resistentem* Congregationem pro Clericis, repraesentatam per Cl.mum Adv.tum Carolum Martino, nunc piae memoriae, interveniente Rev.mo Francisco Daneels, o.praem., Promotore Iustitiae, *respondens quaestioni praeliminari, scilicet utrum adhuc habeatur obiectum contentions, quo in casu sententia ferenda sit super dubio proposito, an lis finita sit ob defectum obiecti contentions*, relate ad recursum coram Hoc Supremo Tribunali interpositum, ad normam art. 123, § 1, Const. Ap. *Pastor bonus*, adversus decisionem qua Congregatio resistens die 9 Aprilis 1999 in limine reiecit recursum interpositum adversus decretum diei 16 Februarii 1999, quo Exc.mus Episcopus N Rev.dum X a munere pastoris animarum in pagis “Y, Z und W”, ut ibi parochus et administratori esset adiutor, amovit et in statu quiescentiae misit usque ad revocationem.

I. BREVIS FACTI SPECIES

1. Decreto diei 16 Februarii 1999, Exc.mus Episcopus N Rev.dum X a munere pastoris animarum in pagis “Y, Z und W”, ut ibi parochus et administratori esset adiutor, amovit et in statu quiescentiae misit usque ad revocationem.

Rev.dus X dein emendationem decreti petiit ab Exc.mo Episcopo, qui vero petitam emendationem denegavit.

Adversus decretum Exc.mi Episcopi, Rev.dus X recursum interposuit apud

Congregationem pro Clericis, cuius autem Rev.mus Subsecretarius die 9 Aprilis 1999 recursum in limine reiecit.

Proinde adversus decisionem Congregationis Rev.dus X instantia diei 20 Maii 1999 ad Hoc Supremum Tribunal provocavit.

Expleta phasi praeliminari, in Congressu H.S.T. die 30 Octobris 2000 habito recursus admissus est ad disceptationem; formula dubii dein die 15 Decembris 2000 ita statuta est:

An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem a Congregatione pro Clericis die 9 Aprilis 1999 latam.

2. Confecto summario, exhibitisque a Cl.mis partium Patronis memorialibus, Rev.mus Promotor Iustitiae die 9 Octobris 2001 votum pro rei veritate exhibuit, quo censuit constare de violatione legis in decernendo ex parte praelaudatae Congregationis, quippe quae reiecerit recursum Rev.di X in limine «ob argumenta quae non sustinentur ad Rev.di Recurrentis collocationem in statu quiescentiae quod attinet». Quam ob rem, censuit Congregationem adhuc videre debere tam de legitimitate quam de opportunitate praedictae remissionis in statu quiescentiae. Cum aestimaverit quaestionem de damnis stricte cohaerere cum illa quaestione principali adhuc a Congregatione pertractanda, censuit eam tunc coram H.S.T. non proponi. Tandem, ad expensas quod attinet, censuit cautionem a Recurrente pro expensis apud arcam H.S.T. depositam eidem restituendam esse atque honoraria utriusque Cl.mi Patroni necnon expensas causae solvendas esse a Congregatione.

Quo voto Rev.mi Promotoris Iustitiae notificato, Congregatio pro Clericis, tota re novo examini subiecta, propriam decisionem die 13 Novembris 2001 novo decreto subrogavit, idem decretum partibus notificans necnon H.S.T., cui scripsit: «questo Dicastero, dopo attento riesame della documentazione, ha deciso di riformare il proprio Decreto, del 9 aprile 1999, sostituendolo in data odierna con il Documento qui allegato».

Rev.mus Promotor Iustitiae dein votum super re die 23 Novembris 2001 exhibuit, quo scripsit:

«Cum impugnatum decretum a Congregatione pro Clericis die 9 Aprilis 1999 latum substitutum sit per novum eiusdem Dicasterii Decretum diei 13 Novembris 2001, censeo recursum Rev.di X adversus illud decretum diei 9 Aprilis 1999 non amplius proponi ob defectum obiecti, salva utcumque eiusdem Rev.di X facultate recurrenti ad H.S.T. adversus novum decretum diei 13 Novembris 2001. Solvat tamen Congregatio pro Clericis expensas processuales necnon honorarium Cl.mae Rev. di Recurrentis Patronae debitum ad recursum adversus illud decretum diei 9 Aprilis 1999 quod attinet».

Nostri Collegii nunc in primis est quaestionem praeliminarem solvere, scilicet utrum adhuc habeatur obiectum contentionis, quo in casu sententia ferenda sit super dubio proposito, an lis

finita sit ob defectum obiecti contentionis.

II. IN IURE

3. Doctrina et iurisprudentia H.S.T. pacifice tenent naturam actus administrativi ita esse ut etiam pendente coram H.S.T. recursu contentioso-administrativo adversus actum administrativum singularem, auctoritas competens proprium actum revocare valeat: «Principium omnino fundamentale in iure administrativo est possibilitas revocationis actus administrativi ex parte Auctoritatis ecclesiasticae, quae facultas expresse agnoscitur in can. 47: “Revocatio actus administrativi per alium actum administrativum auctoritatis competentis effectum tantummodo obtinet a momento, quo legitime notificatur personae pro qua datus est” (cfr. etiam can. 58 § 1)» (Decretum H.S.T. diei 17 Octobris 1996, in una *Essendien.*, *Iurium*, prot. n. 25802/95 CA).

Hisce in circumstantiis, H.S.T. declarare potest, si casus ferat, litem finitam eo quod amplius non habetur materia contentionis de qua in art. 123 § 1 Const. Ap. *Pastor bonus* (interdum latum est huiusmodi decretum v.g. in causis Tucsonen., prot. n. 24693/93 C.A., Essendien., prot. n. 25802/95 CA, Matrieten., prot. n. 26447/95 CA, Posaden., prot. n. 28786/98 CA).

Attentis autem can. 128 necnon aequitate canonica, patet praetermittendam non esse quaestionem damnorum recurrenti forte actu impugnato illatorum, duobus sub adspectibus:

1. Quoad cautionem a recurrente forte in arca H.S.T. depositam pro expensis causae necnon honorarium recurrentis Patrono solvendum vel iam solutum;

2. Quoad reparationem damnorum actu impugnato illatorum, si recurrens id iam postulabat ad normam art. 123 § 2 Const. Ap. *Pastor bonus*.

Quoad primum, H.S.T., statuere potest –et de facto nonnullis in causis iam statuit– cautionem Recurrenti restituendam esse, saltem in parte, atque honorarium Patroni Recurrentis solvendum esse ab Auctoritate ecclesiastica quae decisionem impugnatam revocavit.

Quoad secundum, H.S.T. videre potest eiusmodi in casu de asserta illegitimitate actus impugnati quatenus necessarium sit ad quaestionem reparationis damnorum solvendam, scilicet quatenus quaestio solvi non possit alio modo, v.g. per solutionem pacificam post revocationem decisionis impugnatae.

III. IN CASU

4. Haec elementa perutilia videntur ad casum solvendum:

A. Iuxta dubium concordatum, obiectum recursus est solummodo decisio Congregationis pro Clericis diei 9 Aprilis 1999, qua ipsa reiecit in limine recursum a Rev.do X propositum adversus decisionem Exc.mi Episcopi diei 16 Februarii 1999. In eodem dubio, nulla mentio facta est de reparatione damno-

rum forte a decisione Congregationis illatorum.

B. Rev.mus Promotor Iustitiae, voto diei 31 Octobris 2001, censuit Congregationem adhuc videre debere de opportunitate et legitimitate decreti Exc.mi Episcopi quoad remissionem recurrentis in statu quiescentiae.

C. Ipsa Congregatio, viso praedicto voto, revocavit decisionem impugnata per novam decisionem, qua consideravit opportunitatem et legitimitatem decreti Exc.mi Episcopi. Adversus novam decisionem Rev.dus X iure suo uti potest.

D. Hoc Supremum Tribunal videre non potest de decisione Congregationis per novam eiusdem decisionem revocata – sive in se, quia materia contentionis nunc deest, sive relate ad reparationem damnorum ab impugnato actu Congregationis forte illatorum, quae ceterum formaliter in dubio concordato proposita non est.

E. Attamen, aequitatis causa, Rev. do Recurrenti restituenda est cautio 3.000.000 lib. ital. ab ipso deposita pro expensis huius recursus; insuper Congregatio pro Clericis tenetur solvere honorarium Cl.mae Recurrentis Patronae pro hac causa debitum. Animadvertendum est non agi de expensis vel de honorario pro alia causa (translationis) ab ipso Recurrente prius proposita.

F. Statuendum esse terminum ad recurrendum adversus novam decisionem Congregationis, qui decurrat a decisione H.S.T. Recurrenti per Cl.mam

Patronam notificata, attento quod prius tempus utile ad recurrendum currere non videtur ob incertitudinem.

CONCLUSIO

5. Infrascripti Iudices igitur, omnibus diligenter cribratis atque rimatis, decreverunt quaestioni praeliminari esse respondendum atque respondent:

Salvo iure Recurrentis agendi, si et quatenus, adversus Decretum Congregationis pro Clericis diei 13 Novembris a. 2001, recursum propositum carere obiecto, ideoque non amplius de eo disceptandum esse. Agnoscendum tamen esse ius Rev.di X obtinendi indemnitatem pro expensis quomodocumque factis ad recursum interponendum.

Adversus novam decisionem Congregationis pro Clericis die 13 Novembris 2001 latam Recurrens iure suo uti potest, intra terminum peremptorium a lege statutum, qui vero incepturus erit ab hoc decreto ad normam iuris notificato.

A Congregatione pro Clericis solvendae sunt expensae processuales necnon honorarium Cl.mae Rev.di Recurrentis Patronae pro hac causa debitum.

Recurrenti restituenda est summa pecuniae ab ipso in arca pro expensis huius causae deposita.

Hoc definitivum Decretum cum omnibus quorum interest esse communicandum infrascripti Iudices mandaverunt, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 15 Decembris a. 2001

(Signati)

Marius Franciscus Card. POMPEDDA,
Praefectus

Ioannes Petrus Card. SCHOTTE

Gilbertus Card. AGUSTONI

+ Iosephus MERCECA

+ Iulianus HERRANZ

+ Philippus GIANNINI

+ Eduardus DAVINO

+ Henricus MUSSINGHOFF, *Ponens*

+ Franciscus COCCOPALMERIO

+ Thomas Georgius DORAN

+ Xaverius ECHEVARRÍA RODRÍGUEZ

Die 13 Aprilis a. 2002

Notificetur.

+ Franciscus Xaverius SALERNO, *Secretarius*

Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Moderator Cancellariae*

